

Niernau

De potentia

animata

morbifica

1772





67
IOANNIS CHRISTOPHORI NIEMANNI
DISPV TATIO MEDICA
DE
POTENTIA ANIMATA
MORBIFICA
VARIARVM HAEMORRHAGIARVM CAVSSA.

PRAEMISSA EST EPISTOLA
AD
VIRVM CLARISSIMVM ATQVE DOCTISSIMVM
CHRISTIANVM LVDOVICVM
LIEBERK VHN



HALAE MDCCCLXXII.

LITTERIS CVRTIANIS.

19. 4. 06.

Hi 3226.

ROBERTUS CHRISTOPHORI NEUMANNI
DISPUTATIO MEDICA
DE
BOTANICA ANIMALI
MORPHOLOGICA
VARIATIONE ANIMALIUM

PRÆMIUM EST CRISTOIA
CA
VANI CRISTOIA ANTONI DOSTERMANI
CHRISTIANUS BOVICUM
LIBERARIUS

HALE CISTOIA

LIBERIS CRISTOIA



VIRO CLARISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
CHRISTIANO LVDOVICO
LIEBERKÜHN

s. d.

IOANNES CHRISTOPHORVS NIEMANN.

Amicitia, quae huc vsque arctissima inter nos fuit,
facile mihi permittit vt illa occasione, qua iterum
insigne eruditionis *Tuae* specimen exhibes, hanc
scriptiunculam nomini *Tuo* inscribere possim. Amplissima
mihi adesset *Tè* laudandi materies. Summorum virorum
familiae *Tuae* famam, quae summa est, augebis certissime.
Inter illos clarus fuit auus *Tuus* Io. Christ. *Lieberkübn*, qui
vsque ad mortem vtriusque Regis FRIDERICI PRIMI
et FRIDERICI GVILIELMI gloriosae memoriae gratiam
expertus est. Optimus vero Pater *Tuus*, *Christianus Lieber-*
kübn inter coelites iam versans, nomen suum immortale
reddidit per eximia artis suae, Regis iussu, confecta opera.

Patruos habuisti immortalem *Ioan. Nathan. Lieberkübn*, felicissimum Berolinensium practicum, cuius iniectiones anatomicae, cuius in vniuersa medicina merita, cui non nota sunt? et Illustrem Virum *Beniam. Lieberkübn*, qui adhuc grauissimis muneribus summa cum laude praestitit cuiusque vitam ad nestoreos vsque annos Deus conseruet. Haec exempla *Tibi* semper ante oculos posuisse videris. Iurium studio iam Berolini operam dedisti, postea mecum Halberstadii summe venerandi *Chr. Godofr. Strucnsce* institutione vsus es et deinde in *alma Fridericiana* iurisprudentiam incredibili coluisti diligentia. Simul etiam medicinae nonnulla studia subsidiaria, quae in Iure criminali summae vtilitatis sunt sedulo tractasti. Plura iam doctrinae *Tuae* specimina publici iuris fecisti. In diss. de origine et vtilitate inspectionis et sectionis cadaueris occisi, contra *P. Leyserum*, sectionis defensorem *Te* praebuisti eiusque originem eruere studuisti. In diss. de Barangis, haud leuia dubia contra clariss. *Perzelii* diss. mota sunt. Diss. *Tua* de offa iudiciali, quamquam celeriter conscripta fuerit, huius ordaliorum speciei tamen veram naturam ostendit. Sed inprimis laudari meretur diss. de experimento pulmonum natantium et submergentium, quam sub *Excellent. D. Koenigii*, amici mei praesidio defendes. Biennium in docta hac conscripta dissertatione consumpsisti. Quid de docimasia sentiendum luculenter exposuisti, atque primus fuisti, qui originem experimenti docuit. Gratulor *Tibi* hunc diem gloriosum quo omnium applausu diss. *Tuam* propugnabis. Gratulor familiae *Tuae* de cognato eximio. Deus *Te* per plurimos annos in augmentum rei litterariae conseruet. Vale meique semper memor sis. Dab. Halae, d. 9. Iun. 1772.



IO. CHRISTOPHORI NIEMANNI
DISPUTATIO MEDICA
DE
POTENTIA ANIMATA
MORBIFICA
VARIARVM HAEMORRHAGIARVM CAVSSA.



§. I.

Corpus humanum multis variisque obnoxium esse mor-
bis, horumque causas non semper, omni etiam ad-
hibita diligentia, evitari posse, quotidiana quemvis
docebit experientia. Morborum autem causas nosse,
medici practici imprimis interest, vt in medendo eo felicitior et cer-
tior sit. Difficilem admodum in multis morbis causarum cognitio-
nem esse, neminem fugere poterit, qui earum multitudinem animo
perpendit. Inter varias autem morborum causas, non vltimum

A

sibi

fibi vindicat locum, animata potentia morbifica siue vermes, quos Immortalis *Frider. Hoffmannus* ^{a)} vero nomine, infestis corporis humani hospites dixit. Nullus fere morbus est, qui non a vermibus produci possit, vti hoc optimorum et fide dignissimorum medicorum testimoniis, si huius loci ratio hoc permitteret, facile confirmare possem, et si vnquam caussae quaedam morborum prae reliquis medicorum attentionem merentur, hoc de vermibus sine dubio valet. Quam crudeliter hae bestiolae hominum corpora vexare possint, quam miseranda producere valeant symptomata, ille modo ignorare poterit, qui celeberrimorum medicorum de vermibus edita egregia scripta non legit. Quid mirum igitur, quod in obscuris illis temporibus, vbi rerum caussae non satis follicite eruebantur, homines miseros, sola vermium foeda colluue laborantes, a daemonebus obsessos esse crediderint, vti inter plures alios autores, hoc refert *Georg. Detbardingius* in disp. de obsessione eademque spuria. Rostoch. 1724. propof. XVI. et XVIII. ^{b)} Quid mirum, quod multos, praesertim infantes, vermibus vexatos, fascinatos esse olim clamauerint ^{c)}. Tam insolita enim in istis miseris aegrotis adparuerunt phoenomena, vt aliter sibi tunc temporis horum caussas explicare non potuerint. Multa quidem et inter ea, doctissima alia, nonnulla autem minus erudita ^{d)} scripta de vermibus, illisque morbis,

quos

- a) cf. eiusdem diss. de animalibus humanorum corporum infestis hospitiibus Resp. Samuel. de Drauth. Halae, 1734.
- b) Conferri etiam meretur clariss. D. Leon. El. *Hirschel* Gedanken von der Starfsucht etc. Berl. 1769. pluribus in locis.
- c) Possem, si huius loci angustia hoc permitteret, casum adducere, quem *illustris Boehmerus*, praeceptor in aeternum venerandus, mecum communicauit. Ante aliquot annos, ex regione aliqua, quam non nominabo, a facultate medica Halensi consilium postulabatur ob infantem fascinatam. Commendabatur anthelminticum, quo assumpto infans conualuit, et sic omnis litis finis fuit.
- d) Plura enim huius generis scripta tot tantisque scatent erroribus vt vix dici possit. Vt vnum modo adducam errorem; quam diuersae et nonnunquam absurdae sunt autorum, de illa vermium specie, quam Cucurbitinorum

quos corpori animali inducunt, edita sunt, sed ex recentioribus nemo maiori laude mihi dignus esse videtur, quam Clariss. *van den Bosch*, medicus Haganus, qui anno 1769. historiam constitutionis epidemicae verminosae, quae ab anno 1760 vsque 1763, per insulam Overflaque et contiguam Goederede grassata fuit, Lugd. Batav. in 8. edidit. Quamvis de illis, quae ad historiam vermium naturalem pertinent, pauca attigerit *optimus vir*, eaque potius naturae curiosis perscrutanda relinquere voluerit (vid. cit. lib. p. 3.); tamen Semiologiam vermium, admodum auxit, et ipse p. 8. dicit: diagnosin animatum, haud adeo semper intricatam existere, quam vulgo et generaliter nimis statuitur. Quod etiam *hic vir* in docto suo libello satis superque demonstravit. Ob rei grauitatem placuit mihi etiam in praesenti scriptiuncula aliqua ad vermium historiam pertinentia, quae mihi partim ex celeberrimorum virorum, hac de re, editis scriptis, partim ex ipsa experientia innotuerunt, in medium proferre. Agam de potentia animata morbifica, haemorrhagiarum nonnunquam caussa. Quod quidem argumentum, cum in peculiari scripto nondum pertractatum fuerit et in praxi summae vtilitatis esse possit, haud iniucundum legenti fore putavi.

A 2

§. II.

bitinorum nomine, insignimus, sententiae? Quam falsas nonnulli de his dederunt figuras? quae tamen ab aliis pro veris acceptae iterumque seculprae sunt. Cuius rei caussa in eo praesertim quaerenda est, quod plurimi, qui de vermibus scripserunt, hos vermes nunquam nisi in falsis istis figuris viderint. Nostris temporibus nemo dubitat, Cucurbitinos esse Taeniarum articulos in latiori Taeniae extremitate abruptos, qui interim separati adhuc viuunt et motu gaudent. Quod etiam in sectionibus Zootomicis, praesertim canum, saepius confirmatum inueni. Quando enim in tenuioribus intestinis Taenias inueni, quarum longitudo, saepius se ad crassa vsque extendebat, semper eo loco, vbi taenia terminabatur, auulsos articulos, siue veros cucurbitinos, quos etiam in recto intestino, inter excrementa vidi, deprehendi. Quare verum est illud Taeniarum signum, quod *Aëtius*, Terrabib. III. serm. I. adfert: eius (scil. taeniae) *minime fallax signum erit, si cum recrementis quaedam cucurbitae semini similia excernantur*. Sic etiam *Hippocrates* siue qualis libri quarti de morbis autor fuerit (vid. clariss. D. *Grumeri* Censura scriptor, Hippocrat. p. 154.) hoc signum iam commendauit.

§. II.

Notissimum est, quod causa proxima morbi a diuersis remotioribus produci possit. Ratio iam suadet, vt morbum curaturus, non sola causae proximae cognitione contentus sit, sed vt remotam causam, proximam in casu determinantem cognoscat hancque remouere studeat. Sic in homine plethorico praesertim in ea aetate constituto, vbi sanguinis congestiones versus pectus naturali lege consequuntur, haemoptysis, facilis erit. Sed quid fit in haemoptysi? Nonne voscula quaedam pulmonum sanguinea ita determinantur, vt sanguis extrahatur, qui deinceps ex aspera arteria per os reiiicitur, ita vt qualis morbus adsit, statim pateat. Causae proximae cognitio haud difficilis erit, sed remotiores illae causae quae illam in subiecto quodam produxerunt cognita difficiliore erant. Determinandum iam erit a medico practico an disrptiones vasorum, an modo dilatationes eorum, ita vt globulos sanguineos transmiserint, in pulmonibus factae fuerint, deinde an vniuersalis plethora in aegroto adsit, an congestio tantum versus pectus, et an forsitan acrimonia sanguinis quae continui solutiones producere valet, in culpa fuerit et quae sunt alia. Si igitur hoc modo verae remotiores causae erutae fuerint, tunc in curatione morbi felices erimus. Rationalis itaque medicus in remotiores morborum causas sedulo inquirere debet, cum in hac re praeprimis a vulgari empirico differat.

§. III.

Necessariam igitur esse causarum morbi remotarum cognitionem §. antec. ostendere conatus sum. Quam difficile autem hoc negotium sit, quantum ingenii acumen et quam diligens obseruatio ad id requiratur, omni, etiam medicarum rerum ignaro, si modo attentius rem considerare voluerit, illucescere debet.

§. IV.

§. IV.

Vermes saepe remotam morborum causam existere, experientissimi medicorum diu obseruarunt. Si autem vnquam in morborum Therapia, ad remotas causas respiciendum est, hoc tunc praesertim valebit vbi vermes illas constituunt. Hisce enim bestiolis in corpore humano adhuc praesentibus, omnis medela, ad morbos ab illos productos sanandos, irrita erit futura, et saepissime morbos, quos optimis alias remediis remouere conati sumus, veram remotam causam ignorantes, magis augebimus vel saltim non sanabimus. Non difficile omnino esset, huius asserti innumera exempla afferre; ex sequentibus interim rei veritas satis patebit.

§. V.

Horum autem symptomatum, quae a vermibus in corpore humano produci possunt, alia saepius, alia rarius occurrunt. Inter rariora illa symptomata, quae animatam potentiam pro causa agnoscunt, referendae sunt variae haemorrhagiae, quae forsitan, si modo medici semper satis attenti ad veram morbi causam essent, non adeo raro, vti haecenus obseruatum est, ab hac causa dependent. Quamquam autem raro admodum tales haemorrhagiae obueniunt; merentur tamen omnem medici practici attentionem, vt in curatione earum, causam in casu obui non ignorans, eo felicior sit, vermibus antea congruis remediis e corpore expulsis.

§. VI.

Quod autem vere tales haemorrhagiae a vermibus in intestinis nidulantibus productae fuerint, ex obseruationibus iam ostendam. *Celeb. van den Boese* in cit. lib. p. 101. seq. viduae cuiusdam XLV annorum, nonnihil ab haemorrhagia vterina binarum iam

septimanarum spatio passae, mentionem fecit. Propinavit illi optima in haemorrhagiis remedia sed incassum, cum ad vermes, acutissimus alias in obseruando, non statim respiceret. Cum igitur fluxus non sisteretur, maiorem, ac antea adhibuerat, Corticis peruvianiani quantitatem cum Laud. Liquid. Sydenb. gttis aliquod dedit. Iam parciore quidem videbatur fluxus, sed anxietates in aegrotam augebantur. Quare, cum morbum aegrotae diligentius examinaret, iam suspicio de vermibus nata est. Dedit illi Elaeo saccharum ex olei animalis *Dippelii* gttis XX per interualla. Cum hoc modo anxietates minuerentur, familiarem mixturam vermibus oppositam, aegrotam assumpsit. Melius sese habuit, sed mox recrudit malum, donec tandem vermium copia sub aluum liquidam abiret, et sic a morbo liberaretur. Porro l. c. p. 104: *van den Bosc* refert, se semel atque iterum menstruationis phaenomena in infante octo annos nata, abdominis illinctione anthelmintica, feliciter sublata, obseruasse. Deinde narrat *idem autor* se feminas tractasse, quae copiosis haemorrhagiis cum narium tum vteri obnoxiae erant, ita ut omni fere binarum triumve septimanarum spatio praeter modum plurimum menstruant, et cum vermes plerumque lucide apparerent, depulsis hisce animalculis, ex lege naturae catameniis gauisae esse. Sic etiam abortus a vermibus euenerunt. Tale exemplum profert *laudatus autor*, de nobili matrona, quae bis tantam patiebatur anxietatem et syncopen adeo grauem, ut eius vitae metueret, sed breui dein haemorrhagia validis comitata conuulsionibus, qua summo rursus in periculo versabatur, praegressa, embryonem decem circiter septimanarum inuolucris suis inclusum, edidisse. Post dies dein aliquot, lumbricos teretes tres quatuorve semiputridos deiecit, quo facto breui conualuit. *Idem* obseruauit in illustri matrona, eam ab ascaridibus quorum insigni copia per longum tempus fuerat obsessa et ob quos molestas cardialgias perpeffa saepe erat, haemorrhagiis narium frequenter laborasse. Notanda etiam hic sunt verba, quae

clariff.

clariff. Bofebius lib. cit. p. 129, vbi febris lentae verminofae symptomata egregie enarrat, profert: *Narium*, dicens, *pruritus moleftus, frequenter admodum in haemorrhagiam largam prorumpit*. Non minus hoc loco conferri meretur, aegroti cuiusdam historia, quam *idem obferuator* l. c. p. 150. nobiscum communicauit. Iuuenis annorum duodeuiginti, vermibus laborans, inter alia symptomata, oculorum rubram suffufionem, et largiorem narium haemorrhagiam per dies aliquot protractam fufinuit. Implorauit *Bofebii noftri* auxilium. Pulsus erat debilis et paruus, manentibus vt ante intestinorum cruciatu cum interraneorum indiciiis. Quare non obftante eius debilitata conftitutione anthelmintica purgantia, prae ceteris vtilia vifa funt, et fic aegrotus, inducfa fufa ramentofaque aluo, intra quatrimum ad priftinam fanitatem perducebatur. Ad fcopum meum etiam pertinet illa aegrota, cuius *celeb. van den Bofeb* l. c. p. 153 meminit. Obftetrix quadragenaria maior, affidue fere vermibus obfefa, omnis generis pathemata ab iisdem perpatiens, inter multa alia, haemorrhagiam narium faepe experitur, et magis etiam vterinam; adeo vt binarum feptimanarum fpatio, menftrua et copiofe quidem ipfi fub varias turbas prorumpunt. Medicamentis vero infefis hofpitiibus aduerfis affumtis, breui tempore filent symptomata. Alium adhuc notabilem cafum ab *eodem autore* l. c. p. 155. propositum liceat breuiter aduicere. Operarius quidam, frequenti abdominis cruciatui obnoxius, haemoptoen validam paffus est. Ex fignis inueterata mucofi morbi labes in primis viis manifeftabatur. Exhibitis igitur quibus lethali haemorrhagiae occurrere poffit, mali cauffam aptis purgantibus fubigere anifus est egregius vis. Leuatus est aeger et quanquam varia incommoda redirent, fenfim tamen a morbo liberatus est, cum excrementa mucofa atque ramentofa copiofa quotidie deponeret.

§. VII.

Plura ex optimis autoribus facili negotio adferre possem exempla, vbi vermes haemorrhagiarum causas constituerunt, sed sufficiant allata ob loci huius angustiam. Quod autem a vermibus vti aliae haemorrhagiae, sic etiam illa species, quam haemorrhoidum nomine insignire solent Pathologi, produci possit, sequens obseruatio docebit. Studiosus quidam per breue tempus in academia versatus, varia corporis sui sentit incommoda. Tandem cum haec mala diutius perferre nequit, adit medicum quendam in arte sua clarum, iam inter coelites versantem, eiusque auxilium anxie implorat. Medicus ex signis diagnosticis perspiciens, nostrum haemorrhoidibus laborare, commendat illi varia medicamenta, quae tamen, cum ad vermes, quibus laborabat aeger, non respiceret, non modo nihil plane efficiebant, sed malum potius in dies augebant. Abdominis enim incommoda, quae omnia enarrare facile superfedeo, adeo cruciabant miserum, vt studiis suis amplius incumbere non potuerit. Haec intuens ad patriam urbem, *Halberstadtium*, rediit, vt non modo apud cognatos esset, sed etiam experientissimorum huius vrbis medicorum auxilium imploraret. Aduocatur illustris *D. Benjamin Lieberkübn*, Halberstadiensium consul et physicus prouincialis, vir meis laudibus maior. *Experientissimus vir*, pro ingenii sui acumine, statum morbi diligenter examinans et signa occurrentia animo perpendens, intellexit vermium colluuiem in aegrotto nostro adeste, haemorrhoidum et aliorum malorum causam. Propinauit igitur lenia anthelmintica, aliaque congrua remedia, et spes optimum virum non sefellit, sed insignem vermium copiam ad Taeniarum genus pertinentium, quotidie reiicit aegrotus noster. Post aliquot tempus adhibitis remediis, cessarunt symptomata molesta et sanitas restituta esse videbatur. Cum autem iam in eo esset vt iterum in academiam abiret, denuo abdominis sensus incommoda, et licet incredibilem numerum huius vermium generis, iam reiecisset, tamen rediit dictus morbus et propinatis congruis medi-

medicamentis, quotidiana excrementa, Taeniarum fragmentis erant permixta. Iam autem omnis diligentia *doctissimi medici* et optima praescripta remedia nullo modo impedire potuerunt, quo minus semper plura Taeniarum fragmenta excernerentur. Tanta enim Taeniarum copia per morbi decursum ab hocce aegroto excreta est, ut simile quid in nullo scripto reperire potuerim, cum millesimum vlnarum numerum superarent. Cum igitur harum excretionum nullus finis esset, aegrotus iam antea ad febrem lentam praedispositus, febre lenta et hectica correptus est et tandem placide exspirauit, ita ut ultimo vitae die adhuc vermes excreuerit e).

§. VIII.

Haecenus igitur per experientiam confirmaui, varias haemorrhagias a vermibus produci. In allatis autem historiis morborum vere vermes causam haemorrhagarum fuisse, ex eo patet, quod nullus cum vermibus complicatus fuerit morbus, unde haemorrhagia oriri potuisset, quodque vermibus e corpore profligatis, haemorrhagiae cessauerint. Liceat iam paucis inquirere, quomodo per animatam potentiam haemorrhagiae produci possint. Verum est, nos in multis rebus *to sti* scire et *to diti* ignorare. Quare si ego etiam hoc loco erraero hoc communi imbecillitati humanae ut adscribatur aequitas postulat. Vermium symptomatum magna pars ex neruorum consensu deriuari potest et illust. *Hallerus*, aliique immortalem merentur

e) Difficultas cur nunquam in totum aegrotus noster a vermibus liberari potuerit, in eo haerere videtur, quod illa pars taeniarum, cui caput adhaeret, in intestinis relicta fuerit unde denuo vermes noua incrementa sumserint. Liceat hoc loco aliqua contra *illust. Linnaeum* monere. Mirandum est quod tam diuersae de capite Taeniae eius situ et figura, extent sententiae. *Linnaeus* (amoenit. academ. vol. II. diss. XX. de Taenia p. 85.) optime se ex hacce difficultate extricare studens, caput taeniae plane negauit. Errauit autem *Linnaeus* vehementer, quod pace huius viri dixerim, cum ego caput Taeniae saepius viderim. Situm est caput in tenuiori extremitate et fere in omnibus cum illo conuenit, quod *Tysonus*, *Anglus*, descripsit.

B

tur laudem, quod nobis, dum Neurologiam adeo excoluerunt, multis in obscuris medicinae locis faces praetulerint. Sed si concedam, omnia reliqua vermium symptomata ex solo neruorum consensu explicari posse, tamen in modo explicando, quo vermes haemorrhagias producunt, ad alia momenta respiciendum esse, non sine ratione affirmari posse puto.

§. IX.

Nemo negabit, ex maiori sanguinis congestione ad partem aliquam, haemorrhagiam produci posse. Si autem simul conceditur, a vermibus, congestiones ad partes quasdam produci posse; negari etiam non poterit ab illis haemorrhagias effici posse. In intestinis, cum irritabilia sint, docentibus id experimentis f) spasmii possibiles sunt. Vermes igitur, qui tanquam stimulus agunt, plurimas mutationes in illis producere posse patet. Facili negotio perspicitur ex istis mutationibus in intestinis factis, adiacentes partes abdominis etiam affici. Sic nonnunquam compressiones vasorum maiorum sanguineorum in abdomine compressione adiacentium oriri poterunt. Si autem in locis quibusdam vasorum sanguiferorum compressiones et constrictiones oriuntur; sanguinem necessario ad alia loca ruere debere consequitur. Hoc modo oriuntur congestiones, quae si determinati gradus fuerint haemorrhagias producere poterunt. Quae quidem haemorrhagiae modo in his modo in illis locis pro diuersa eorum dispositione, oriri poterunt.

§. X.

Porro si vermes in intestinis nidulantur, facile intelligitur, flatus oriri posse. Iam autem flatus causam distensionum intestinorum et compressionem vasorum ideoque congestionum sanguinis ad alia loca et consequenter haemorrhagiarum constituere posse, Pathologi ostendunt; poterunt itaque etiam hoc modo haemorrhagiae a flatibus determinari. Tandem ille etiam modus, quo vermes haemorrhagias determinant, nonnunquam obtinet, ubi hae bestiolae intestina arrodendo

f) cf. Hallerus von denen reizbaren Theilen. p. 30. etc.

dendo et vasa sanguifera perforando, haemorrhagias producant. Si enim omnes intestinorum tunicas perforare possunt g) poterunt etiam vasa sanguifera in illis contenta perforare. Confirmatur hoc adhuc ex eo, quod lumbrici interdum recenti sanguine repleti reiiciantur h).

§. XI.

Nullum certius atque frequentius vermium signum est, quam narium pruritus i). Qui autem narium pruritus imprimis oritur a sanguinis ad caput congestione. Solet enim hunc pruritus breui haemorrhagia consequi. Imprimis in infantibus colluue verminosa laborantibus, pruritus narium continuus adest, quam saepe haemorrhagia excipere solet.

§. XII.

Clariff. *van den Bosch* interim haemorrhagias a vermibus ortas, ex neruorum consensu explicat. Notum est qualem sententiam illust. *Hallerus* (diff. de neruorum in arterias imperio) de neruorum habentibus proposuerit. Cum autem hanc sententiam deinde falsam esse agnosceret summus *vir*, eam non multo post reliquit. Putat interim clariff. *Boschius* sibi adhuc argumenta superesse, quare cum *Hallero* hac in re consentire non possit. vid. l. c. p. 364. 365. n. e. Quare etiam p. 368. lit. 5. rationes haemorrhagiarum a vermibus productarum ex solo neruorum consensu et eorum in arterias imperio, verosimiliter (quod tamen fatetur) deriuare voluit. Sed si modo *cl. vir* sententiam *Halleri* diligentius perpendere veller, tunc forsân in eius

B 2

partes

- g) Ipse enim cum felem macilentam secarem, tres lumbricos, qui intestina perforauerant in abdomine repentes inueni. Conferatur etiam hoc loco *F. H. Schulzii* diff. de Lumbricis effectoribus. Resp. *Behrens*. Hal. 1740.
- h) vid. celeb. Magdeburgensium medici, Consiliarii aulici *D. Ioannis Chriftophori Weinscheuck* diff. inaug. de vermibus dysenteriam et haemorrhoidas mentientibus. Quam sub Illustr. *I. Iunckeri* praesid. Hal. 1747. defendit.
- i) cf. b. *And. El. Büchneri* disp. de pruriente naso frequenti vermium indice. Resp. *Clauswitz*. Hal. 1757.

partes transiret, et varia, quae ad explicanda vermium symptomata proposuit falsa agnosceret. Instituit *noster* experimenta quaedam, quibus arteriarum irritabilitatem contra *Hallerum* affirmare voluit. Quibus tamen experimentis forsitan non maior fides habenda erit, quam illis, quibus peritoneum sensibile et cutem sensu carentem, observare voluit. vid. c. l. p. 366. Nescio et valde dubito an *Clar. vir* in experimentis, quae cum arteriis instituit satis accurate cauteque versatus fuerit, cum facile stimulo adhibito, adjacentes partes irritare poterit ita ut his contractis, arteria ob nexum simul contracta fuerit. Praeterea etiam adhuc ostendendum est quod scintilla electrica satis apta sit, ad experimenta irritabilitatis, cum oleum vitrioli etiam in cellulosa contractiones efficere valeat, quae ideo minime irritabilis est, cum haec contractio modo mechanica sit. Stimulus enim electricus mihi nimis vehemens esse videtur. *Clar. Boschius* ita dicit: scintilla electrica spinalem medullam versus dirigebatur, vel ad pedem diuulsam, si quando ab acri mechanico vel chemice non amplius ad contractum eiebantur, quo tempore quae vita priuatae apparuerant partes, denuo ex se redire et agitari visae sunt., me autem iudice oleum vitrioli etiam ad acria chemica pertinet. Si itaque in partibus, quas acria chemica irritare non valuerunt, scintilla electrica hoc efficere potuit, patet scintillam electricam, acri chemico, maiorem stimulum esse etsi oleum vitriolicum reiiciendum sit, hoc non minus de scintilla electrica valere debere. Deinde si etiam verum esse arterias aliqua gaudere irritabilitate, quae certe minima est, tamen nervorum imperium in illas manet hypothesis haud vero similis et explicatio, qua vititur *Boschius* non nititur stabili principio.

T A N T V M.

Uli 3326

3







64

IOANNIS CHRISTOPHORI NIEMANNI
DISPUTATIO MEDICA
DE
POTENTIA ANIMATA
MORBIFICA
VARIARVM HAEMORRHAGIARVM CAVSSA.

PRAEMISSA EST EPISTOLA

AD

VIRVM CLARISSIMVM ATQVE DOCTISSIMVM
CHRISTIANVM LVDOVICVM
LIEBERK VHN



HALAE MDCCCLXXII.

LITTERIS CVRTIANIS.

19. 4. 06.

Hi 3226